



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXIV. Argumentum. Domus, & Campi relictæ à Testatore Monialibus, ut ex eorum fructibus Capellaniam pro ejus anima; sed cum prohibitione eosdem campos alienandi, hypothecandi, feu Livellandi; ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

est constituendus; & ubi de veritate emptio-
 nis, ac venditionis prædicti fundi legitimè con-
 stat, de constitutione Livelli super eodem dubi-
 tari non debet; ut probatum est supra *Decis.*
LXXI. num. 6. ex doctrina Leotardi de *Usuris*
quæst. 27. à num. 54. & seqq. & quæst. 89. num. 10.
cum quo concordat Marta d. clausul. 3. part. 2. &
conf. 126. num. 15. nec non Rota Romana coram
 7 Neque officit Bulla S. Pii Quinti ex adverso
 considerata. Primò, quia ipsa loquitur de Cen-
 sibus, non autem de Livellis, qui sunt contra-
 ctus valde differentes, & distincti inter se, ut
 demonstratum est supra *Decis. LXX. num. 12.*
 8 Secundò quia etiam in materia census non est
 necessaria individualis specificatio, & confinium
 demonstratio fundi, super quo Censum imponi-
 tur ut in puncto tenuit Rota *part. 4. recent. decis.*
636. num. 3. ubi præter alios Doctores canoni-
 zavit doctrinam Menochii in *consil. 287. num. 8.*
 & *seqq.* advertentis, quod demonstratio expressa
 9 fundi tribus modis fieri possit; Uno, in genere
 dicendo: *Constituimus censum super omnibus fundis meis.*
 Altero in specie, dicendo: *Constituimus censum super*
fundis meis in Villa N. existentibus, ac in tali contracta.
 Tertiò individualiter eos exprimendo, ac de-
 monstrando, puta *super tot fundis existentibus in tali*
loco, nominando eorum confines. Ex his tribus mo-
 dis secundus, ac tertius satis est ad Censum con-
 stituendum ritè, ac rectè etiam in rigore Con-
 stitutionis S. Pii Quinti, ut pluries determinavit
 Rota, ac præcipue *decis. 95. num. 6. & decis. 99.*
num. 1. inter impressas apud Cencium post ejus
 tractatum de Censibus; & advertit Bellarminus
 in *addit. ad Gregor. XV. decis. 355. num. 6.* ita scri-
 bens: *Et quod valeat Censum impositus super quibusdam*
tornaturis unius prædii multò majoris quantitatis, etiam si
non fuerit expressum, à quo latere dicti prædii sint dicta
tornatura: dummodo ex signis, & demonstrationibus con-
stare possit, super quibus tornaturis dicti prædii fuerit sa-
 10 *cta impositio tenuit Rota d. decis. 95. &c.* Non la-
 teat Lectorem, quod tornatura sit vox Bononi-
 ensis, significans certam mensuram terræ, ut
 docet *Vocabularium della Crusca d. Verb. Tornatura.*
 Idcirco etiam si tornatura, id est aliquæ partes
 fundi non sint designatæ per específicos confi-
 nes, censum super eis constitutum valere docet
 etiam Ferentillus in *Annot. ad Burattum decis. 10.*
num. 29. undè multò magis valere debet Livel-
 lus factus super aliquo numero camporum de
 corpore alicujus possessionis amplioris quanti-
 tatis specificè nominatæ, etsi ejusdem numeri
 camporum Livello oneratorum non sint speci-
 ficati confines,

Minus officere potest, quod in casu affranca-
 tionis Livelli ob non solutas pensiones, nesciat
 Livellans, quales sint sui campi, quos appre-
 hendere possit in solutum, & consolidare eo-
 rundem utile dominium, quod habebat Livella-
 rius, cum dominio directo existente apud
 ipsum Livellantem. Nam responderetur, notum
 esse versantibus in foro, quod in hujusmodi
 casu apprehensio, ac consolidatio prædicta non
 fiat auctoritate propria, sed de mandato Judi-
 cis, ad quem creditor Livelli recurrere debet, &
 petere, ut eum mittat in tenutam tot campo-
 rum de corpore illius amplioris possessionis,
 quot sufficiant pro suo credito tum capitalis pec-
 cuniæ, tum prodiorum decursum, & non so-
 lutorum cum beneficio quinti, de quo dixi su-

pra *Decis. LXXII. num. 7.* Deindè faciendi sunt
 tres incantus super iisdem campis, & postea
 eorum æstimatio per publicum pretium, ne ali-
 quid terræ ultra justum valorem habito respec-
 tu ad creditum Actoris apprehendatur. Pro-
 pterea nullum sequitur inconveniens, etsi à
 principio in constitutione Livelli, non fuerint
 specificati confines prædictorum quatuor cam-
 porum, de quibus in themate, quando certi
 sunt confines, & indubitatus situs totius pos-
 sessionis, seu agri majoris quantitatis, ex præ-
 dicta fundamentalis ratione, quod creditor ca-
 12 pere non potest nisi tantam quantitatem ter-
 ræ, quanta sufficiat pro ejus credito ex decreto
 Judicis. Imò si ipsi quatuor campi fuissent
 specificè, & individualiter designati à principio
 in instrumento Livelli, & valerent plures, illud 13
 plus remanere deberet apud Livellarium titulo
 melioramentorum, & e contra si minùs vale-
 re reperti essent in æstimatione ex decreto Ju-
 dicis facta, supplendum esset ex campis conti-
 guis usque ad integram summam totius crediti
 ejusdem Livellantis, ut ex doctrina Eminentiss.
 Cardin. Parisii lib. 1. *conf. 59. & conf. 60.* nec non
 lib. 3. *conf. 77.* demonstravi supra *Decis. LXX.*
num. 14.

Ex quibus omnibus suam reddidi antedi-
 ctum zelantem Concionatorem, quod neque
 Usuraria, neque reprehensibilis sit praxis regio-
 nis nostræ vendendi minorem numerum cam-
 porum de corpore majoris summa absque illor-
 um individuali specificatione, aut confinium
 expressione, ad effectum, ut ab emptore retro-
 cedatur statim eidem venditori ad Livellum;
 quia sufficit certitudo totius possessionis, seu to-
 tius corporis agrorum majoris quantitatis, in
 quo insunt, vel cui adherent, & coherent illi
 campi minoris summa, ad effectum, ut super
 ipsis ritè, ac rectè constituatur Livellus.

DECISIO LXXIV.

A R G U M E N T U M.

Domus, & Campi relictæ à Testatore Moniali-
 bus, ut ex eorum fructibus Capellaniam pro
 ejus anima erigant, sed cum prohibitione
 eosdem campos alienandi, hypothecandi, seu
 livellandi, possunt à Monialibus dari ad Li-
 vellum ob difficultatem illos locandi.

S U M M A R I U M.

1. Legatum relictum pro capellania Missarum.
2. Livellus domi, & agrorum factus contra prohibi-
 tionem testatoris an sit sustinendus?
3. Alienari potest fundus sterilis contra testatoris pro-
 hibitionem.
4. Testatoris intentio magis, quam verba, est atten-
 denda.
5. Index debet interpretari mentem Testatoris non
 secundum sonum verborum, sed secundum intentio-
 nem illius.
6. Testator quod fecisset, si viveret, etiam Hæres fa-
 cere potest.
7. Lex non verbis, sed voluntati favet Testatorum.
8. Voluntatem Testatoris, non autem verba scrutari
 oportet.
9. Verba Testatoris improprianda, ut ejus mens im-
 pletur.
10. Livellus alius activus, alius passivus.
11. Livellus prædialis est utilior, quam simplex locatio.
12. Activus

12. *Actus favorabilis menti Testatoris est sustinendus.*
13. *Bona stabilia relicta Ecclesiis de Jure Veneto alienantur.*
14. *Alienatio à Lege ordinata non comprehenditur in prohibitione Testatoris.*
15. *Livelli passivi fieri non possunt super bonis Ecclesiarum sine licentia etiam Ser. Dom. Venetiarum.*
16. *Missarum onera ubi veniunt, requiruntur licentia Episcopi.*

Casus factus, non fictus paucis abhinc annis talis est. N. N. Pius Testator reliquit tres campos cum Domo Dominicali ex muro affabrè per illum super eis constructa in quadam Villola Territorii Patavini RR. Monialibus N. N. in quarum Ecclesia suam habebat sepulturam, cum onere locandi eosdem campos, ac domum, & ex annua pensione ipsorum celebrare faciendi pro anima ejusdem Testatoris tot Missas, quot juxta consuetam elemosynam comportaret ipsamet annua pensio, & prohibuit per expressum iisdem Monialibus legataris, ne prædictos tres campos, ac domum alienarent, hypothecarent, vel livellarent; ad hoc, ut semper remaneant pro fundamento, & dote suæ Capellaniz. Defuncto Testatore, & possessione fundi legati per Moniales apprehensa, contigit, ut nemo reperiretur, qui veller agros illos, ac domum conducere, quamvis honesta pensione, quia campi tres parvum fructum reddabant, domus verò tanquam dominicalis requirebat non modicum affictum, ad quem solvendum, & ad quam inhabitandam, utpotè constitutam in Villula paupere, incommoda, à solis rusticis frequentata, nemo ex civibus opes habens se offerebat. Post multum spatium temporis, quo domus illa inafficta stetit, & post multas diligentias, comparuit Sacerdos quidam, dicens, se accepturum eandem domum, & agros, non ad simplicem locationem, sed ad Livellum pro annua pensione Ducatorum triginta, juxta summam à peritis æstimatam. Moniales, exposito supradicto legato Curiz Episcopali, obtinuerunt ab ea licentiam dandi ad Livellum prædictos tres campos ac domum in perpetuum pro antedicta pensione Ducatorum triginta eidem Sacerdoti, cum quo subinde Instrumentum perpetui Livelli celebrarunt. Post biennium obiit Sacerdos ille, cujus hæredes nolentes onus antenominati Livelli sustinere, citare fecerunt Moniales coram Judice, & petierunt declarari nullum Livellum ipsum, cassari, ac rescindi Instrumentum ejusdem Livellarii contractus tanquam initi contra expressam prohibitionem Testatoris. Quapropter fuit acriter disputatum, an sustinendus esset Livellus? hæredesque Livellarii jam mortui obligandi essent continuare in illo, & promissam pensionem annuam Ducatorum triginta solvere? Nec ne?

Ego de hac controversia consultus respondi ad favorem RR. Monialium, & dixi, eas potuisse de jure dare ad Livellum prædictam domum, & agros, instrumentumque super ipso Livello celebratum esse validum, ac irretractabile, & illud observandum fore ab hæredibus Livellarii prædefuncti ex rationibus sequentibus.

Primo, quia ante constitutionem dicti Livelli domus illa dominicalis in antedicta Villa fabricata erat fundus sterilis; cum enim non

haberet apud se amplam possessionem terrarum, magnumvè numerum camporum, difficile, imò impossibile erat reperire occasionem illam locandi, ut experientia docuit; certum est autem apud jurisperitos tam theoriam, quam praxin forenses profitentes, quod fundus sterilis possit alienari, non obstante expressa prohibitione Testatoris; ut docet Castrensis in *Auth. Res quæ* num. 6. ff. ad Trebellian. Fusarius de *Substit. quest.* 734. num. 5. Farinacius in *Reperit. Ultimæ Volunt. quest.* 1. Peregrinus Eques Patavinus de *Fideicom. art.* 40. Philippus Portius *conf.* 38. à num. 20. & seqq. Honded. vol. 1. *conf.* 58. num. 32. Et Rota coram Eminent. Othobono [qui ad Cathedram Petri elevatus, nominavit se Alexandrum VIII.] in *Decis.* 210. Attenta itaque sterilitate, & inutilitate prædictæ domus, quam locare Moniales non poterant, & quæ vacua, & illocata remanebat, ritè, ac rectè potuerunt eam dare ad Livellum.

Secundo, quia in dispositionibus testamentariis attendendum magis est ad intimam intentionem, ac voluntatem Testatoris, quam ad extrinsecum sensum verborum ejusdem. Rota *part. 7. recent. decis.* 93. Honded. d. vol. 1. *conf.* 58. num. 15. & Cardin. Mantica de *Conjectur. ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 3. num. 9. Modò voluntas intima, & enixa antedicti pii Testatoris fuit, ut sibi celebrarentur Missæ pro suffragio animæ suæ à Capellano percepturo fructus, ac pensiones annuas illorum trium agrorum, domusque dominicalis; quam voluntatem exequi, adimplerevè non valebant RR. Moniales legatariz, ex deficientia conductorum, quorum nullus reperiebatur, qui eandem domum conducere veller, aut tenere ad affictum, simplicemvè locationem. Igitur pro exequenda voluntate ejusdem Testatoris opus fuit dare ad Livellum eandem domum, & agros, reperto illo & illos Sacerdote, qui ad Livellum erat paratus illam recipere, & hoc non obstante extrinseca prohibitione resultante ex verbis ejusdem Testatoris, quæ quidem verba extrinseca cedere debent juxta supracitados Doctores. ac Rotam Romanam, intimæ, ac enixæ voluntati ipsius.

Tertio, quia axioma legale est, quod Judex debeat interpretari voluntatem Testatoris non à significatu, vel sensu verborum, sed à proposito, & intentione, quam habuit ipse Testator in dispoendo de rebus suis, quando fecit Testamentum. *l. In fraudem. §. 1. ff. De Milit. Testam.* Cardin. Mantica *dict. lib.* 3. *tit.* 1. num. 30. Sed propositum, & intentio nostri Testatoris fuit, ut erigeretur Capellania ex pensionibus ejusdem domi, & trium agrorum dotanda pro habendo suffragio Missarum, ut dictum est supra. Igitur quamvis prohibuerit dare ad Livellum dictam domum, ne ejus propositum ac intentio habendi Missas destrueretur, eadem prohibitio non est attendenda.

Quarto, ulterius docent omnes Jurisperiti, quod, ubi dubitare contingit circa ea quæ ordinata sunt à Testatore, eligendum, & faciendum sit id, quod faceret ipse Testator, si in humanis esset, & suam voluntatem cuperet ad executionem deducere. *l. 3. ff. de Milit. Testam. Afflict. decis.* 44. num. 25. Calcaneus *conf.* 103. num. 2. Modò si Testator, de quo in præsentî casu, vivus esset, & veller Missas sibi celebrare facere ex redditibus ejusdem domus, & trium agro-

rum, notumque inveniret, qui eos, & illam ad simplicem locationem acciperet, sed unum haberet obvium, qui ad Livellum dictam domum, & agros acceptaret, utique huic daret titulo Livelli dicta stabilia. Ergo judicandum venit, hoc idem esse faciendum à Monialibus legatariis post mortem ejusdem Testatoris.

7 Quintò confirmatur hæc doctrina pluribus aliis Jurisprudentiæ regulis; videlicet: *Lex non verbis, sed voluntati favet defunctorum.* l. 2. C. Commum. de Legatis. Item: *Diligenter cavendum, ne dum nimia utimur verborum subtilitate, vera judicia defunctorum non subvertantur.* §. Nostra. Instit. de legat.

8 Prout etiam: *Non propriam verborum significationem oportet scrutari: sed quid Testator senserit, & demonstrare, seu significare voluerit.* l. Quoniam indignum. C. de Testam. Quibus regulis inhærendum est in præsentī casu; in quo Testatoris voluntas fuit dotare Capellaniam ex affectu, seu Pensionibus prædictorum agrorum, ac domus, & ideo si subtiliter ejus verba volumus perscrutari, quibus vetuit *Alienare, hypothecare, aut Livellare* eosdem agros, & domum, cum nemo sit, qui velit eam, & illos conducere titulo simplicis locationis, subvertetur Testatoris judicium, & ejus voluntas penitus destruetur; nam cessante locatione, & deficiente affectu, deficit Capellania, & cessant suffragia Missarum. Econtra permanente Livello constituto, & creato ab iisdem Monialibus, sustinetur Capellania, ejus dos exigitur, Missæ celebrantur, & judicium, ac voluntas Testatoris fortitur adimplementum. Igitur omisso, ac neglecto verborum sono, ad judicium, & voluntatem ejusdem Testatoris mens est dirigenda; & pro validitate Livelli est pronunciandum; ut differt Cardin. Mantica eod. tract. de Consect. Ultim. Vol. d. lib. 3. tit. 3. per totum.

9 Sextò, sed fortius argui potest pro sustentatione Livelli prædicti ex eo, quia pro adimplenda testatoris voluntate, ejus verba lato modo sunt intelligenda, & interpretanda, & quatenus opus est, etiam in sensu improprio sumenda. Idem Mantica *diff. lib. 3. tit. 5. num. 4. & 5.* ubi DD. cumulat. Modò prohibitio, quæ legitur facta per Testatorem, quod agri, & domus prædicta non alienentur, neque hypothecentur, neque allivellentur, quoad illud verbum [*Non allivellentur*] dupliciter intelligi potest, prout duplicem habet sensum. Unus est, quod non dentur ad Livellum, alter quod super iisdem non recipiatur pecunia ad Livellum; ita ut primo modo possit intelligi de Livello activo, fundiario, & prædiali, secundo modo de Livello passivo, & ut dicebat Manentus, de quo in *Decis. LXX. num. 2* de Livello pecuniario, igitur verba testatoris prohibentia allivellare agros, & domum suam restringenda sunt ad Livellum pecuniarium, seu passivum, ita ut prohibuerit, ne ullo unquam tempore à Monialibus darentur ad Livellum recipiendo pecuniam super ipsis cum obligatione solvendi domino directario Livellum, videlicet annuas Livellarias pensiones, & jure quidem; nam Livellare hoc modo agros, & domum, est eos alienare, dum eorum fructus, ac redditus annui exiguntur non amplius à Monialibus, sed à tertio domino, neque expendantur pro celebra-

tione Missarum, sed convertentur in commodum, & lucrum Livellantis. Econtra si verba testatoris intelligantur primo modo, nullum præjudicium resultat ejus dispositioni, aut voluntati; nam dare agros illos, ac domum ad Livellum fundiarium idem est ac dare illos ad locationem; cum pensio annua sit in æquali summa tam in locatione, quam in Livello; imò cum majori emolumento, & securitate Dotis ordinatæ capellaniz, quia onus publicarum gravedinum, & periculum tempestatum, aliorumve infortuniorum transeunt in Livellarium, qui recipit eosdem campos, ac domum ad Livellum. Igitur impropianda sunt verba testatoris circa hunc primum modum Livellandi, & dicendum est, ea esse intelligenda tantum de secundo modo, id est de Livello passivo, ut bene considerat Rota Lucensis *decis. 64. p. 1. & Farinacius in Repert. Ultr. Volum. quæst. 1. num. 55.* & per consequens cum RR. Moniales abstinerint à secundo modo Livellandi, sed primum modum practicaverint ex necessitate, ne vacua domus staret, pensionem non reddens, & non possent Missæ pro anima testatoris celebrari; hunc inquam primum Livellandi modum in prohibitione testatoris non esse comprehensum judicandum est, neque de eo ipsum locutum fuisse, quando dixerit, quod prohiberet agros illos ac domum Livellare.

Septimò: tantò minus, quia ut dictum est, ex hac factura Livelli activi nullum præjudicium resultat voluntati testatoris, cum pensio sit ejusdem quantitatis, quam Moniales exegissent ex simplici locatione, & præter onera publicarum gravedinum, ac infortuniorum translata in Livellarium, liberata est capellania ab obligatione servandi illam domum sartam, & tectam; ad quem effectum annuatim opus fuisset expendere partem pensionis cum diminutione numeri Missarum. Quapropter cum Livellus prædictus fuerit in beneficium, & utilitatem testatoris, venit omnino approbandus, ac manutenendus. Fusarius *quæst. 734. à num. 1. & seqq.* ubi quod gesta in favorem testatoris, etiamsi ab eo prohibita, sustineantur.

Octavò: Quia circumscriptis etiam tot, ac talibus rationibus hucusque adductis, Moniales alienarunt eosdem agros, & domum titulo Livelli perpetui pro debita executione Legis Serenissimæ Reipublicæ Venetæ die 2. Martii 1605. Certum est autem apud omnes in foro versantes, quod prohibitio alienandi facta per testatorem non comprehendat alienationem à lege præceptam, & quæ sit pro ejusdem legis obedientia, ut latè probat Bartolus in l. Cum pater. §. Cum inter. ff. de legat. 2. & Peregrinus Eques Patavinus tom. 4. *cons. 98. num. 7.*

Neque obstat objectum, quod faciunt præfati hæredes Livellarii defuncti, quod pro dandis ad Livellum iisdem agris, & domo Moniales non obtinuerint licentiam à Principe Laico, prout opus esse videbatur juxta diversa Decreta Excellentissimi Senatus Veneti, potissimum diei 27. Junii 1620. diei 20. Septembris 1627. & diei 20. Aprilis 1657. Nam respondetur primo, eadem decreta loqui de Livellis passivis, qui

qui constituuntur super bonis Ecclesiarum, recepta pecunia ab eorum administratoribus; & huiusmodi non est Livellus, de quo disputatur; cum sit prædialis, non pecuniarius, ut dictum jam fuit. Respondetur secundò, alienationem factam à Monialibus prævia datione in Livellum perpetuum dictæ domus, & agrorum, esse alienationem necessariam pro executione legum Serenissimi Domini, ut dictum est supra, & circa talem alienationem non est opus alio decreto, ut bene advertit idem Peregrinus in *tr. de Fideicommissis* art. 40. num. 23. & 24. Obtinuerunt quidem ipsæ Moniales licentiam à Curia Episcopali dandi ad Livellum eosdem agros, & domum ad majorem cautelam, attento quod redditus annui eorundem deputati sint à testatore pro celebratione Missarum; quarum intuitu factus est decretum Episcopi ad tradita per Loterium lib. 2. quæst. 47. num. 69. & 70. Sed ad Magistratum Laicum non erat necessarius recursus.

Quare disputata causa, & supradictis rationibus per Judicem intellectis, confirmatus fuit Livellus, & obligati hæredes prædicti ad ejus perennem solutionem.

DECISIO LXXV.

ARGUMENTUM.

De Livellis debitis cuidam Moniali, decursis, & non solutis in magna quantitate, potest ipsa Monialis de licentia Abbatisæ compositionem facere super iisdem cum suis parentibus egenis, illis aliquam portionem crediti decursi relaxando, condonando, ac remittendo.

SUMMARIUM.

1. *Femina secundum Platonem sunt aliud genus hominum.*
2. *Moniales de licentia Abbatisæ relaxare possunt consanguineis suis aliquam portionem Livellorum decursorum.*
3. *Moniales de licentia Abbatisæ possunt elemosynam facere.*
4. *Consanguinei pauperes Monialium ab eis adjuvari possunt.*
5. *Telemachi olla, proverbium quid significet?*
6. *Abbatisæ sibi ipsi licentiam donandi aliquid potest tribuere.*
7. *Paupertas qualiter consideranda in personis nobilibus?*
8. *Bulla Clem. VIII. prohibet Religiosis largitiones munerum.*
9. *Elemosynas facere non prohibet Religiosis Bulla Clem. VIII.*
10. *Munera ex motivo virtutis, & meriti Regulares possunt largiri.*
11. *Relaxare aliquam portionem debiti, an sit præjudiciale Monasterio?*
12. *Licentiam concedere Monialibus, ut elemosynas faciant, expedit valde.*
13. *Monasterium exigit jure spoliū Livellos decursos Monialium defunctorum.*
14. *Monasteriorum difficultas in exigendis Livellis Monialium defunctorum.*

EX generali consuetudine Monachis, ac Monialibus, antequam hæ, & illi profiteantur in Religione, eorum genitores assignant annu-

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

um Livellum vitalitium, exigendum ex fructibus bonorum paternorum, ac de licentia Abbatis, & Abbatisæ respectivè in rebus necessariis iisdem Religiosis utriusque sexus expendendum. Sæpe accidit, ut genitoribus eorum defunctis, fratres, aliæ hæredes deficiant in solutione prædictorum Livellorum sub diversis prætextibus vel infortuniis, vel paupertatis, verius tamen ex defectu charitatis, pro nihilo habentes Moniales consanguineas suas, quasi existiment verum, quod dicebat Plato lib. 6. de legib. *Feminas esse aliud genus hominum, & differens à nobis.* Contigit in facto nonnullis abhinc annis, quod dux Moniales nobili ex familia progenitæ creditrices essent à suis germanis fratribus ducatorum mille pro suis Livellis vitalitiis decursis, & non solutis. Allegabant ipsi germani fratres suam paupertatem & impossibilitatem solvendi hanc totam summam; sed offerebant sororibus Monialibus se eis satisfacturos, si ex benignitate, ac liberalitate vellet ipsi quartam, aut saltem quintam partem totius debiti condonare, ac relaxare. Requisitus fui, an prædictæ Moniales possent tuta conscientia eandem condonationem, ac relaxationem facere? Et respondi affirmativè, si accedat licentia Abbatisæ ex rationibus sequentibus.

Primò, quia Abbatisa potest concedere facultatem Monialibus, ut ex eorum Livellis vitalitiis valeant elemosynam facere, egenis succurrere, & eosdem Livellos in pios usus juxta earum beneplacitum infundere. Ita testantur omnes Theologi Morales, & in specie Sanchez in *Decal. lib. 7. cap. 19. num. 44. & num. 104. Bordonus de Paupertate Relig. cap. 20. num. 33. & 35. Ascanius Tamburinus de Jure Abbatisar. disput. 9. quæst. 3. num. 23. Donatus de Regularib. tom. 4. tract. 15. quæst. 36. Beja de Casib. Conscient. part. 4. cas. 32. Et Diana Coordinatus tom. 7. tractat. 3. resol. 51. alios plures DD. congerens, qui omnes ulterius concedunt, posse Moniales è sola licentia Abbatisæ impendendi earum Livellos in rebus utilibus, ac virtuosis, suffragari egenis earum parentibus, seu consanguineis relaxando, ac condonando iisdem aliquam portionem Livellorum decursorum, & non solutorum. At in casu proposito germani fratres prædictarum duarum nobilium Monialium angustantur paupertate; non est enim novum, quod in quibusdam nobilium domibus verificetur proverbium illud, *Telemachi olla*, de quo Polyanthæ in *Verb. Paupertas*, & quod multi ex sanguine nobili fiant similes Michaeli Palæologo, qui regno potitus tres tantum aureos domi habuit, vel Ladislao Secundo Regi Ungariæ, qui in eas angustias rei familiaris venerat, ut interdum, mensæ quod apponeretur, vix habuerit. Igitur prædictæ Moniales poterunt titulo elemosynæ, ac pietatis quartam, aut quintam partem summæ sibi debite ob Livellos decursos iisdem germanis fratribus relaxare. Quod si una ex iisdem Monialibus esset Abbatisa, sibi ipsi posset eandem licentiam tribuere, ita ut propria autoritate licitum ei foret, eandem relaxationem facere; ut in puncto scribunt idem Sanchez dict. cap. 9. num. 26. & Bordonus in eod. tractat. cap. 17. à num. 60. & seqq. usque ad num. 79.*

Secundò, quia inter alios pauperes, quibus Moniales possunt facere elemosynam de suis Livellis vitalitiis, Abbatisa permittente, primum

Q2